

ANTONII CAESARIS
M A R T I A T H E R E S T A
 LIBER QUINTUS.



Rgo adeo foecunda suae Germania prolis,
 Ut, postquam ingemuit centena haud pauca virorum
 Millia vel ferri, bolidum sublata vel ictu,
 Confectosque alios morbo, attritosque labore,
 Et faevi riguisse alios vi frigoris ustos,

Ac desertorum turmas errare vagantes;
 Tum Borussiacum Regem centena trahentem (1)
 Millia, & in varios contendere viderit hostes
 Austriacos, Russos, Gallos, validosque Suecos,
 Intrepidum, infractum, & victor velut ante fuisset?
 Quodque fidem supra est; multos a vomere raptos
 Sub sua collegit postquam vexilla, videntur
 Haud secus ac quivis miles veteranus ab arte:
 Sic torquent recte arma manu, pede in ordine sistunt,
 Absolvuntque vices, ut rite exercitus alter.
 Rex Borussiacus turmis stipatus ab istis (2)
 Plurimus intendit semper contundere vires
 Austriaci; propriis propior quod finibus, & quod
 Sub Dauni auspiciis sibi passim infensior instet,
 Militis & numero, & simili virtute timendus.
 Divinat dum quidquid agit, praevertit agendum,
 Et nullam indulget requiem noctuque diuque.
 Id vero in primis; quando prostrernere Russos

Posse ratus, multas vires Rex duxit in illos.
 Tempore quo, tempus captans, bene Daunus & usus,
 Omnia disposuit rectae rationis ad unguem.
 Principio ad Boici fines custodia regni
 Addicta est; habilis, si forte incurreret illuc
 Hostis, ut exigeret, repetatque ut sanguine poenas.
 Propterea ad calles arctos, aditusque malignos
 Stant passim accincti vigiles, & claustra tuentur
 Obstructa aggeribus, stygiisque armata balistis.
 His ubi consultum est; illinc injuria terris
 Ne Boicis illata foret, Moravisque propinquis;
 Movit in Henricum, & castris contraria castra
 Metatur Daunus; quorum frons tendat in hostem,
 In Boicos tergum fines, & Saxones aequae.
 Inde Zuepricus non uno est indice Princeps (3)
 Admonitus pariter ducat; cunctisque catervis,
 Imperii corpus quas illi addixit agendas,
 Saxoniam irrumpat, quavis expellat ab urbe
 Ut Borussiacos: justis quas redderet inde
 Arbitrio Domini sub nomine pacis ademptas.
 Advolat armipotens Princeps, multasque recepit
 Terrifico potius vultu, quam clade subactas,
 Torcavum, Wittembergam, pariterque Maissam.
 Tu quoque, tu quondam sedes gratissima Musis,
 Artibus & reliquis Phoebos, cultisque Minervae,
 At modo Bellonae furiis Martisque theatrum,
 Dederis: ut vero possis te dedere sospes,
 Est opus, ut redimas auro ferrumque facesque:
 Felix, heu nimium felix, si fortior armis,
 Lipsia, pauperior variae si mercis, & auri!
 Fortior exigeres propriis e finibus hostes:
 Pauperior nullos hostes ad damna vocares.

Daunus

Daunus at ut contra Borussica castra federet, (4)
 Desedit non ille diem, non otia duxit:
 Verum ductores multos admittit, ut hosti
 Perniciem inferrent: multos selectus & inter
 Peckius: in pugna succumbere Peckius ulla
 Non solitus: solitus sed in omni vincere pugna.
 Hic ergo assueta fretus virtute Graiffen
 Moenibus obseptam validis, & milite fultam
 Aggreditur, captamque jubet, se dedat ut ultro:
 Sin secus, ultrices flammis, ferrumque minatur.
 Moenia non urbem vero potuere, nec ingens
 Praesidii numerus, caderet ne victa, tueri:
 Obluctata parum quamvis spe ducta, futurum,
 Ut sibi subsidium Borussia a gente feratur.
 Subsidii adventus palmas sed reddidit auctas
 Peckiadae, invadit visos qui fervidus hostes,
 Invehiturque, abigitque alios, aliosque trucidat:
 Et septingentos gestantes fronte galeros
 Nexibus addixit postquam, dein urbe potitus.
 Parte alia clarus quavis virtute Palaestis (5)
 Mittitur a Dauno, ut legionem a nomine dictam
 Esterasis ducat, terrasque irrumpat in hostis.
 Vadit, & exequitur vivax mandata tribunus:
 Dum propere at vadit, praeclarior ansa merendi
 Obvia fit: plusquam duplo numerosior illi
 Obvius est: hostis numerum contemnit at idem:
 Nec manet assultus, verum sese invehit acer;
 Incutit inflictum toto cum robore ferrum;
 Et ferit, & caedit; comitum simul ardua virtus
 Ejus ad exemplum bellandi accenditur aestu:
 Edidit & clades, & fudit sanguinis undas.
 Qui reliqui, tolerare negant se posse furorem,
 Boruf-

Borussique fugam properant consciscere: pauci,
 Quos mora distinuit, manicas iniere paratas.
 Hos aliosque duces non unquam immittere Daunus
 Abstinet strages pulsas & damna creatum.
 At gesta, illorum & numerum libare canendo
 Ingenio veluti nostro non ulla facultas,
 Sic etiam incessit mentem non ulla cupido:
 Annus erit, propero si tangam singula cantu.
 Haud aliter ferme volucrum regina recentes
 A nido ut doceat pullos sibi quaerere praedas;
 Affidet in saxo, quod Nereos imminet undis:
 Post quas transmissas calidae regionis ad oram
 Alituum properant turmae; dat sibila mater,
 Dum veniunt illae, mandatque invadere; nati
 Remigio alarum gaudent se credere campis
 Aeriis: matrem veluti videre volantem
 Jam prius; & praedas capiunt, captisque fruuntur.
 Sic quoque ductores, quos Daunus jusserat ire,
 Et pariunt damna, & poenas venantur ubique.
 Ditiore at cunctis aliis, meliorque recepta (6)
 Dresda, Zuepriccus quam spisso milite cinxit.
 Moenia tum, quamvis tot restaurata per annos,
 Atque incrementis etiam majoribus aucta
 Orbibus infernis, & tempestate libratis
 Verberat assidua, praesens & semper ubique est,
 Affidet & semper studiis, operumque labori:
 Sollicitam ut praestent eperam, constructus ut agger
 Sit cito, sit melior pluteus, sit vinea ducta.
 Et tandem excudit, nec porro tempore longo,
 Praetor ut a laceris vexilla albentia muris
 Extulerit, victum se dedere velle professus.
 Cui nimis indultum, liber prodiret ut urbe,

Praefidiumque suum, atque suis spectantia vasa
 Bellica, respectus non ejus vicit id autem:
 Hanc illi obtinuit veniam sed regia proles.
 Plusquam tres annos ea pene in carcere clausa,
 Multa velut jam passa, pati majora timebat.
 A tenebris illam subductam laetus adivit
 Inde Zuepiccus laetam; tum mutua dignis
 Obsequia exhibita, & grates cum laudibus actae.
 His ita transactis, Princeps perrexit, ut omne
 Belli instrumentum numeret, bona copia cujus
 Condita sub Dresdae cameris: ibi quotquot adempta
 Austriacis olim fuerant, Gallisque, simulque
 Saxonibus, variae formae tormenta reperta;
 Pulveris inferni numerus, bellique supellex
 Plurima, vis ingens auri, segetisque facultas,
 Austriacae gentis captae plena agmina, multus
 Syngraphus obses item, minime jussa aera luendo
 Qui fuerat, quando varias Borussus in urbes
 Irrupit, praefens jussitque, pecunia detur:
 Quae quoniam vacua minime numeratur ab arca,
 Illuc ductus erat, donec sese explicet auro.
 Tum desertores plures, prodire negarunt
 Qui Dresda, reduces alii affluxere, plagasque
 In varias alii sese abriperere fugaces.
 Dum tenet obsidio porro, tum Wunskius urbem (7)
 Subtrahere intendit, magnum collegit & agmen,
 Estque iter ingressus: retro sed abire coactus
 Integer haudquaquam, satius mutilatus at ante.
 Obvius est illi Martis germanus alumnus,
 Non ficta, at belli solida virtute timendus
 Armipotens Vehla; & prohibet, procedat ut ultra;
 Spirantemque minas, sperantem expellere Dresda
 Austria-

Austriacae gentis turmas invadit, & ignes.
 Ingeminat, rursusque premit, rursusque fatigat:
 Totus & est, vanos ejus frustretur ut ausus:
 Quod plane obtinuit, retroque excedere adegit.
 Spe prisca elusum cernens se Wunskius esse,
 Tum quas immodicas animo conceperat iras,
 Transtulit in vultum, geminoque excanduit igne,
 Scilicet irarum flammis, ostroque pudoris:
 Viribus instructum quoniam majoribus illum
 Cunctari numero pubes minor Austria cogat.
 Pugnandi magis ergo furor sic gliscit utrinque:
 Tendere Borussus, prohibere sed Austrius ardet.
 Hinc furor octonas quamvis tenuisset ad horas,
 Idem erat, & dirimi haud poterat, nisi noctis ab umbra.
 Quem vero poterat noctis sola umbra, diremit
 Extemplo lux ille virum, lumenque perenne
 Militiae Brentanus: agit secum agmina, vadit
 Primus in agminibus, Borussasque impete turmas
 Arduus invadit: tunc inclinata cadit res:
 Et sibi consultum mavult; succurrere Dresdae
 Nil Brandenburgus meminit, propereque faceffit.
 Dum pugna arderet, multi jacuere perempti;
 Dum siluit, multos doluit Borussus ademptos,
 Ad septingentos qui ducti in vincla fuere:
 Par numerus caesus, vario sed vulnere mancus:
 Et desertorum par illis copia fugit.
 Post tot jaecturas, tot damna accepta, quid unquam, (8)
 Fulmen Hyperborei Coeli, Fridericus agendum
 Instituet? Quidquid lacera de nube repulsum
 Fulmen agit, Fridericus aget. Valido impete duris
 Cautibus illis fulmen celer exilit inde
 Integrum, rupeque alias, aliasque perinde

Impe-

Impetit, ac veluti tum primum e nubibus ortum;
 Desinit assultus & nunquam infligere faxis;
 Ingeniti donec vis sulphuris insita durat:
 Qua semel absumpta, mersum tellure quiescit,
 Ut sibi quod superest, matri tum reddere possit.
 Fulminis in morem magnus Fridericus ubi hostes
 Impetiit multos, victusve, aut vicerit, idem
 Exoritur: credas e militis ossibus ortos
 Elicere innumeros, secumque in bella referre:
 Nam quamvis vicit, multos amisit, eidem
 Si nunquam sine clade fuit victoria parta,
 Sensit & irriguas multo cum sanguine palmas.
 Contra ea cum victus, plures sibi vidit ademptos.
 Rursus at erumpit, nunquam diversus ab ipso:
 Suppetit & semper miles numerosus, ut olim:
 Nullus & expectat, bellum generosus at infert;
 Abstinet & varios configere nullus in hostes,
 Indita vis donec maneat sibi dia vigoris:
 Qua semel elapsa, mersus tellure fiescet,
 Et nihil ex toto reliquum, nisi pulvis & ossa.
 Atque ubi tum palmae multorum morte petitae,
 De quibus est ratio reddenda exacta Tonanti,
 Fallere quem nemo, quem nemo evadere possit?
 Fulminis ast instar sese intulit arduus ecce (9)
 In campum Fridericus, ubi nova praelia tentet,
 Et belli eventus sibi reddat ut arte secundos.
 Annibal haud ullus, Pyrrhusque excuderit ullus,
 Quod Borussiaci mens sublimissima Regis
 Consilium nacta est: plusquam ter sena virorum
 Millia delegat, stationem & figere mandat
 Inter inaccessas rupes, vallesque profundas,
 Indigenis Maxen dictas, nullusque vel unguem

Ex illis abeat, verum sua jussa morentur.
 Consilium hoc illuc porro tendebat, ut olim
 Inde sibi facilis Boicas irrumpere terras,
 Difficilis fruges istis transmittere Dauno
 Copia, ab ipsius quin intercepta catervis.
 Praeterea delata sibi quando ansa fuisset
 A fronte Austriacas acies invadere posse,
 In terga occultum contenderet ilicet agmen.
 Annibal at nullus, Pyrrhusque imponere Dauno (10)
 Jaëtarit, quamvis virtus utriusque sit uni
 Insita, & utrius mens uno in corpore regnet.
 Daunus is est etenim, quem nemo aequaverit auctor,
 Ut melius fraudes comprehendere norit, & uti
 Fraudibus, inque caput convertere providus hostis.
 Sic Borussiacos idem detexit ubi astus,
 [Haud mora fit] validas numero & virtute phalanges
 Expediit, ut cryptis hostes extrudere tentent.
 At catus, & solers, mentis totius & usu
 Hoc opus aggressus, Borussum expellat ut antris,
 Consulat & propriis castris; ne fiat in illa
 Impetus a Regis turmis paulum inde remotis,
 Cujus & arrectas aures, nulloque sopitas
 Tempore perculerint solito tormenta fragore
 In reliquis Maxen juxta explodenda catervas.
 Magnus uterque labor, majus discrimen utrinque:
 Et quod ut evadat Daunus, superare decebat,
 Quas artes adhibet navis deprensa Charybdin
 Inter, & infensam Scyllam: nunc contrahit, & nunc
 Explicat in ventos turgentia carbasa rector,
 Temonemque regit, remisque everberat undas,
 Integer intendens utrumque evadere monstrum.
 Haud aliter Daunus duplex vitare periculum

Plurimus incumbit. Castris est jussus adesse
 Bachous, & sepsit duplici munimine castra,
 Additaque illorum duplex custodia labris.
 Seligit e cunctis audentia robora turmis,
 Congeneresque duces virtute adscribit iisdem:
 Et monet intrepidus, & Maxen tendere cautos.
 Sin secus, excessus damni foret alea certi.
 Scilicet aeterna naturae id lege paratum,
 Qui nimis intrepidus, cautus minus esset ut idem,
 Qui nimis & cautus, trepida formidine nutet.
 Post ubi prospectum castris satis esse putavit,
 Ne laevi accideret quidquam, tum jussit, equestres
 Ducat Odonellus turmas; sibi bellica cujus (11)
 Cognita jam virtus, casusque experta per omnes.
 Nil vitae timet ille suae, sed multus honori:
 Magnus honoris amor fodicat cui pectora, major
 Theresiam propter quodvis discrimen obire.
 His ubi consuluit, vitae tum prodigus idem
 Hanc mavult offerre libens, quam tradere morti.
 Imperio Dauni pedites Sinceris agendos
 Accipit, infestam vultu qui flectere sortem
 Conspicuo possit: si vero infensior obstet,
 Tunc ope virtutis debet succumbere victa.
 Inde fit, adversae vicibus ne cesserit unquam:
 Tam bene respondet menti vis ferrea dextrae;
 Dexteritas mentis sic dextram impellere novit.
 Nec satis id duxit solertia provida Dauni: (12)
 Nam nimium his ducibus quamvis, & milite fretus,
 Res quia momenti magni tunc esset agenda,
 Maluit idcirco praesens assistere, multa
 Ut propriae immineant illic discrimina vitae.
 Ergo abit; & jusso Bachoum sua castra tueri,

Assequitur missas turmas tunc temporis, illae
 Dum tergo instarent hostis: praecesserat autem
 Hic nimium, pridem nimium cui tendere coeptum.
 Et via per salebras quoniam, praeruptaque saxa,
 Ac circumcisos, montesque ineunda diremptos,
 Qua cito non possent tormenta ingentia duci:
 Copia Borussis ideo praecedere nacta est
 Sospitibus: Daunus doluit, nec destitit inde
 Proposito; legitque locum, quem credidit aptum;
 Atque ibi metari iussit sua castra phalanges,
 Hoc tamen adjecto, contendere rursus in hostem,
 Ante rosas Matuta suas quam crastina Coelo
 Extulerit crepero, & dubiis, radiisque malignis
 Oppositas rupes, callesque retexerit ortu.
 Pollicitusque simul, primo quod mane futurum,
 Ut redeat, sit plena sibi si forte facultas;
 Hostis & assultus nullos in castra minetur.
 Haec simul, insiluit currum, propereque reversus,
 Nox ubi jam totum tenebris obnupserrat orbem.
 Ac noctem insomnem duxit: nunc auribus adstat,
 Haurit & arrectis, aliquis num venerit index,
 Et referat, peditum strepitus, equitumque fragores
 Quod procul acceptus, quod raptim moverit hostis.
 Dum nemo apparet, vigili tum mente revolvit;
 Qui potis in rupes equitum deducere turmas;
 Aut quamnam evolvat ratione in saxa balistas,
 Ignea torquentes in longum spicula tractum.
 Atque ubi devenit, quo pacto invadere possit
 Brandeburgiadas forsan bino aggere septos,
 Caetera pars noctis precibus de poplite fufis
 Transigitur; totoque humilis sic corde precatur.
 Auxilii Patrona, tui praeconia quondam

Auxilii taceat, nec laudibus efferat ullis,
Oravit quicumque, tuum sed sensit abesse
Auxilium, plenum quin exoraverit illud.
Hoc ego non mereor; verum fortasse merentur
Tot miserae gentes, acies quas hostica passim
Reddidit expertes laribus, vitaeque, bonisque.
Si nihil hae porro, certe tua signa merentur,
Natus & ipse tuus: siquidem scis, optima Mater,
Scis bene: Borussiae Boicas id tendit in oras,
Ut populet, facibus dedat, populare quod idem
Non potis, aut spernet: tua signa evellet, ab aris
Projiciet, saevis manibus lacerabit, & uret:
Et Natum nivei tectum sub imagine panis
Disperdet, pedibusque teret, tritumque relinquet:
Nam secta illorum patitur rite ista patrari;
Et qui religio nobis, est ritus iisdem.
Haec simul oravit, sensit, fiducia pectus
Certa quod implevit, palmamque sponderit: ergo
Protinus exiit strato, currumque paratum
Occupat, invaditque celer, turmasque revisit
Tunc iter ingressas, quando nox invida necdum
Imperium Coeli Matutae indulserat axi,
Sed crepera condebat adhuc caligine terras.
Ut vero illuxit, milesque aspexit adesse (13)
Dauniadem placidis oculis, facieque serena
Conspicuum, & palmas exscriptas ore ferentem,
Ejus ab aspectu cunctis fiducia pectus
Protinus invadit, sensimque evadit in iras
Belligeras: dextras omnes gestire videres,
Atque oculos spirare faces, vultusque furorem;
Inque sua statione pedes constare negantes:
Et totidem Daunos, juvenes quot, adesse putares.

Sic

Sic etiam, Titan aperit cum lumine terras
 Nubibus obtectas laxis, Titanis imago
 Nubibus excipitur, radiis & ubique coruscat:
 Atque inibi totidem soles ardere videntur,
 Quot matutino palantur nubila Coelo.
 Quattuor in cuneos turmas ibi digerit omnes
 Sub ducibus Daunus variis, mavortia quorum
 Emicat ut virtus, renuunt sic carmine claudi:
 Quam Maxen, salebrosa magis sua nomina quippe.
 Sunt acies equitum geminae, geminaeque pedestres
 Illis sub ducibus Borussum invadere iussae.
 Altera quas praeter Brentano est auspice ducta; (14)
 Illius & veluti numeris tractabile nomen,
 Sic etiam virtus est intractabilis armis.
 Talis & haec virtus, fiducia talis in illa
 Est Dauno, ut solidam turmam commiserit uni;
 Qua nec opinatus tergum mox impetat hostis:
 Cum frontem invadent aliae, convertat & omnes
 In semet vires, obluētantesque moretur.
 Norat enim Daunus, qualis Brentanus & inter,
 Qualis & ante tubas, quoniam bene praecipit ante,
 Quid sibi continget quondam: nulla accidit illi
 Hinc nova res: talis solertia provida mentis,
 Consona cui cordis virtus: se strenua quippe
 Expedi a casu, quicumque occurrit eidem.
 Tantaque Brentanus, monumenta & talia bello
 Edidit, ut lustris ejus, non mensibus, annos
 Compositos dicam, quando numerare liberet
 A palmis, segetes quarum demessuit ense.
 Auribus aut Dauni, aut oculo comperta fideli
 Omnia quae fuerunt; ideoque electus, ut ingens
 Illud tentet opus, solitis absolvat & ausis.

Nec fatis id duxit vigilis prudentia Dauni.
 At foret ut major spes, prorsum aut certa triumphi,
 Ex Borussiacis & nemo evadere posset;
 Cum latere ex alio via, quamvis arcta, pateret,
 Qua profligatis devictisque ire facultas,
 Hanc etiam obstructam voluit dux inclytus esse:
 Lectus & est heros, heroo e sanguine cretus, (15)
 Quique tot heroas, quot avito e germine nati,
 Enumerat: lectus fuit ergo Palffius, inquam;
 Ut Borussiacos aditu prohiberet ab illo:
 Dedita in hoc bello cui cura potissima semper,
 Hostibus ut nullam requiem, daret otia nulla:
 Munus & explevit semper, nec nosse rogavit,
 Quot numero aut essent illi, loca quaeve tenerent
 Obvia vadenti, ruptis an devia faxis.
 Ast ubi compertum, sedes ubi fixa sit hosti,
 Quo ve iter ingressus, tum protinus irruit idem;
 Ut procul a castris positus aut exigat actos,
 Aut fundat stabiles, vetet ultra aut longius ire.
 Id modo & evenit: siquidem cum dissita fama est,
 Et Borussiacas cum primum perculit aures,
 Palffiaden fauces illas, & claustra tueri,
 Incidit in mentem nulli contendere contra:
 Et licet hoc ausi fuerint, praecisa facultas
 Aut foret, aut multa steterint tentamina clade.
 Palffius infessam praerupti montis in arcem
 Fulmina torquentes duxit magnas catapultas:
 Queis simul exorsus turmas incessere Daunus
 Brandeburgiacas, coepit quoque protinus ille,
 Flammarumque acies, atque agmina densa pilarum
 In montes adigit, multus qua federat hostis:
 Et procul a capta statione faceffere cogit.

(16)

Sub primum adventum validas confidere vidit
 In valle adversas acies, & misit in ipsas
 Ex propriis aliquot Daunus: conspectus earum
 Protinus ejecit prima de sede, propinquum
 Compulit & pulsas in saltum intrudere sese:
 Illic pagus erat, tramesque exortus eodem
 Per nemus excurrrens montes tendebat in altos.
 Occupat hunc Daunus callem, speculatur & illic
 Ambages varias, nemora inter & invia flexus
 Difficiles aditu, dubioque errore: suavisque
 Ingenium praeter fati intractabile, dura
 Accessit glacies, hyaloque simillima prorsus.
 Pes ubi non poterat firmus vel stare, vel ultra
 Tendere, quin dubium vestigia lubrica fallant,
 In praeceptisque adigant utrum praestare volentem.
 Atque equitum turmis talis mage trames iniquus.
 Nec solem armabat clavus capitatus equorum,
 Cuspide qui penetret glaciem, revocetque labantem
 Alipedem a casu, praestetque, ut pergere possit;
 Quo validi annuerent motae fessoris habenae.
 Ast ibi sint valles, sit silva impervia, sitque
 Tramitis implicitus, sit inextricabilis error;
 Lubrica sit glacies, multasque assurgat in ulnas;
 Sint acies hostis, sit nodus Gordius ipse:
 Semita virtuti non ulla est invia: vicit
 Imperium, exemplum, nutus, praesentia Dauni
 Omnia, mandantis, miles procedat ut ultra.
 Ac pedes evadit parva formidine tactus,
 Ut glaciem plantis, fronti vereatur & ignem.
 Sic quoque pergit eques: sonipes sudore madescit
 Sed nimio, totos tremit artus, erigit aures,
 Dum tentabundo ponit vestigia gressu.

Tandem

Tandem eques ingreditur saltum: fugit hostis, & inde (17)
 Perrepat, montesque petit, quibus adfita silva.
 Austriaci pedites instant, abiguntque petitis
 Montibus, & silva; digestoque hic ordine sistunt.
 Adfuit extemplo, speculatus & omnia Daunus,
 Aut numerum, aut hostis positus incessere flammis
 Consilii ratus, hinc tormenta curulia duci
 Imperat, & dorso pedites sese abdere montis.
 Ignea tempestas ubi primum invadere coepit,
 Tum Borussiacae sensim nutare catervae,
 Transferri sua signa loco, solvi ordo, fugaque
 Consultum sibi velle, nisi pudor obstet honorque;
 Libera sospitibus fugiendi & copia detur,
 Nec claustra impediunt, nec & Austria turma sequatur.
 Haec ubi conspexit, captis erumpere Daunus
 Imperat e latebris, pilanorumque cohortes
 Irruere, & solitos orbis torquere per auras
 In medios hostes, mox agmina caetera glebis
 Trajicere ignitis, gladiique, & acinacis ictu.
 Principio hic quamquam satis obluētata juvenus
 Sit Borussiadum, tandem discedere adacta,
 Inque alios montes celeri contendere passu:
 Atque inibi accincta, & pugnam instaurare parata.
 Tempore ne longo distraeta at pugna teneret, (18)
 Ut prius incaluit, fuerunt Brentanus, & auctor
 Palffiades: Brentanus enim procul aure fragorem
 Cum primum accepit, tormentorumque boatus;
 Protinus ante alios se praecipitavit ab altis
 Montibus; ante alios seque invehit acer in hostes,
 Et ferrum rotat, & ferrum quocunque rotavit
 Area conspicua est membris instructa resectis.
 Palffius haec alio lapsus de monte peregit:

Edidit & clades, glaciem nec sanguine tantum
 Inficit, at fluxam pariter, redditque solutam:
 Dum quippe insiluit praeceps, tali impete fertur,
 Et secum impegit Borussi in terga cohortes,
 Ut vento evulsas rupes juraveris esse,
 Praeproperaque fuga se dorso evolvere montis.
 Hic debellatum, Brandenburgique subacti,
 Ordinibus ruptis, versuque jugisque diremptis,
 In rupes alias non longius inde remotas
 Pergere. Dum liquido palatur in aere nubes,
 Praegreditur ventum, qui turbine terga flagellat:
 Tum latere ex alio si forte procacior instet,
 Scinditur in partes varias, & hiulca dehiscit,
 Nescit &, obsequium cui praestet denique vento;
 Sed fugit, & sese victam lacerata fatetur.
 Sic quoque discedit Borussus in agmina multa
 Sparsus, ab integro sese defendere certus.
 Illum ubi quaesito vidit sed monte receptum, (19)
 Austriacis septus victoribus undique Daunus
 Ad Maxen properat; jussuque ipsius equestris
 Insequitur profugos acies, & caedit adeptos.
 Ac nisi nox terras fusco texisset amictu,
 Caetera Borussi pubes aut victima ferri,
 Sanguineis aut Albis aquis absorpta fuisset.
 Nox postquam Austriacis caedis sedavit amorem,
 Borussisque simul sensus terroris ademit;
 Non eadem indulgit vigili tunc otia Dauno:
 Qui secus ac nullos passus foret ante labores,
 Impiger, infractus statuit multa agmina saxi
 Adversis hosti, monuitque expellere somnum,
 Cernere & intenta cura, quid cogitet unquam,
 Qui sedet oppositi montis Borussus in arce.

His

His ita dispositis, Maxen succedit, ibique
 Pellibus incubuit stratis; oculosque natantes
 An tenui, an nulli concesserit ille sopori,
 In dubio est: certum, quod buccina tertia signum
 Ut primum increpuit, longe praeverterat ante,
 Et turmas adiit, tormenta curulia iussit
 In montem evolvi, qui proximus: unde sub ictu
 Aspiceret montes, quos jam Borussus haberet.
 Pilanos movet inde suos, & laetus in hostes
 Protinus impellit, medius consistit & inter
 Arduus, exertans ferrum, referensque triumphos
 Exhibitos fausto vultu, turmisque refundens.
 Integra non adeo Matuta illuxerat orbi,
 Nox matutinas necdum contraxerat umbras,
 Cum stygiae moles orbes torquere per auras,
 Et pede festino miles procedere contra.
 Sed procul ecce tibi tubicen sese obtulit illi
 Obvius, inflabatque animis sua cornua spissis,
 Et lateri adstabat Borussa e gente tribunus;
 Qui supplex petiit, fiat sibi copia, Daunum
 Ut praesens adeat; Daunus sed iussit, eundem
 Conveniat Lacyus, referat sibi, quidquid & orat;
 Adjiciat porro: victis ea sola superstes
 Conditio, ut nulli renuant se dedere captos:
 Si renuant, Albim, ferrum, flammisque manerent.
 Conditio accepta est: illud tamen addidit unum
 Legatus: detur ducibus sua tota supellex.
 Daunus id indulsit: tum vero effulsit ubique
 Aurea pax; late resonat vox pacis; inermes
 Et dextrae coeunt, & mutua pocula ficcant.
 Haec fuit excellens reliquas victoria supra,
 Quas domus Aufriadum non paucas rettulit olim:

Integer est captus cum pene exercitus alter,
 Ut numero tutus, positu sic tutior ipso:
 Quippe superciliis rupis, septusque salebris,
 Ingenium ob natum quae nulli adeunda, magisque
 Non adeunda, gelu fuerant quod lubrica multo;
 Et velut impatiens rupes tormenta tenere
 Martia, & indocilis glacies tolerare labantes
 Quadrupedum soleas. Numero porro Austria pubes
 Haud multo excessit; verum tentata timore
 Multijugo haec eadem; loca confraga, saxa dirempta,
 Perspicuo contacta gelu, faciesque pericli
 Undique conspecta, & rupes infessa catervis,
 Tormentisque simul, terrore infregerit omnes.
 Tum post terga pavor Borussi Regis ab armis
 Plurimus urgebat: merito plerique timebant
 Tum sociis, orbis tum justo milite castris.
 Credere quis vero poterat, quod deses abesset
 Ille diu, qui vel quidquid contingere possit,
 Contigit aut alibi, novit, divinat, & obstat?
 An fieri poterat, quod doctus ab indice nullo
 Rex fuerit, tum quale sui discrimen obirent?
 Auribus an captus, minime quibus ille fragorem
 Non procul acciperet, perculsumque aera bombis?
 Omnia sint captum, sint vires omnia supra:
 Invia sint factu pariter; plana omnia factu
 Auxilii Regina potens, facta omnia reddit.
 Quodque fidem excedit, nongenti e pube perempti
 Austriaca; extincti numerum quis iniverit hostis?
 Quot vel inaccessibleis rupes, cautesque labantes,
 Prolapsosque gelu ferrumque absumpsit, & ignis?
 Qui capti fuerunt, Daunus numeravit, & inde
 Dresdensis populus, nosterque exercitus: omnes

Tendentes vidit mox tota Boemia, tota
 Austria, & illorum terquina ad millia passim
 Calculus asseruit concors. Aliena sed urna
 Exequitur numerum melius, Minois & instar,
 Aut veluti e rostro tantum tria millia cantat.
 Tam parvus numerus cur septuaginta trahebat
 Sed stygias moles, prope centum bellica signa,
 Insignisque notae viginti & quattuor? Omnis
 Vindobona haec vidit, plausuque recensuit. Octo
 Aut cur legati paucas duxere catervas?
 Cur etiam longe numero majore tribuni?
 Hisque duces alios, centum adde & centuriones.
 Copia tanta ducum fuerat prope milite major,
 Quae ruptis damnata fuit sese abdere petris.
 An Borussiaci sapientia Regis id unquam
 Jusserit, aut passa est? Regi sic detrahit ipsi,
 Contraxit numerum dum captum aliena tabella.
 I, lector, credasque, refert ubi praelia fausta,
 Et Pragam assultu domitam, fractasque catervas,
 Si tanto impingit commenta Atlantica Regi,
 Austria quae minime, caperetque Boemia tota.
 At fortassis erit, quod manceps institor ille (20)
 Fallere non alios voluit, sit falsus at idem;
 Offerat indicibus quod apertas omnibus aures:
 Quodque aliquis dixit tantum tria millia capta
 Bekiadae a parvo, numeroso haud agmine Dauni,
 Tunc ille oblitus nomen ductoris utrumque,
 Asseruit Dauno, quod postea Bekius egit.
 Hic novus, hic Argus, cui plusquam lumina centum,
 Dimidiam indulget somno; pars caetera porro
 Excubat insomnis semper, perlustrat & hostes
 Quo Borussiadae pergant, qua sede morentur.

Hos

Hos ut, seu vigilantes moveant, jaceantve sopiti,
 Occupet audentes bello, spissisque quietem
 Excutiens, jungat placidam cum morte sororem.
 Bekiadae allatum fuerat, quod flumen ad Albis
 Brandeburgiadam magnum confisteret agmen
 Discincto propius: subit illicet ergo cupido,
 Quae sibi solemnibus, calidoque in pectore fervet,
 Tendere; siqua sibi fortasse ibi copia, turmas
 Littoris obsessa depellere prorsus ab ora:
 Flumen ut Auftriacum ripis labatur utrisque;
 Atque intercipiat nullus, quae pabula ducet.
 At sibi quod numerus longe minor, inde rogatum
 Delegat, Daunus vires submittat ut aptas.
 Consilium pro more suo laudatque, probatque,
 Mittit & hic acies, praesens quas exiget usus.
 Has simul accepit, se pugnae accingere mandat,
 Mandat & id propriis collectis corpus in unum,
 Festinusque intendit iter, licet atra teneret
 Nox Coeli imperium, & tenebris regnaret adultis.
 Serius excutiunt somnum, rapidique molossi
 E tecto exiliunt, sive auram nare luporum,
 Auribus accipiant sive infensos ululatus:
 Concubiae in noctis quam Bekius exeat umbris.
 Est ubi deventum, doluit, Borussiae juvenis
 Quod vigil extaret: doluit, non destitit ausis:
 Sed magis exacuit; nam gloria major adepta
 Tum foret, accinctum pugnae cum sterneret hostem.
 Hostis enim frontem structum munimen obibat,
 Et latera, appositus tergum reddebat & Albis
 Prorsus inaccessum: non longe in colle manebant
 Tartareae moles stragem mortemque minantes.
 Bekiades ergo, qui sicut strenuus, aequae est

Provi-

Providus, hic tandem parsit discrimen obire:
 Haud prorsum abstinuit. Campis equitatus apertis
 Hosticus adstabat: contendere jussus in illum,
 Arduus invadit, Nevendorffusque fugavit.
 His actis, studio incubuit tum Bekius omni,
 Ut vetet, adversum posset ne littus adire
 Rex Borussiades, aliud qui deses habebat.
 Atque ideo infestum tormentis reddidit amnem.
 Praeterea misit pedites, equitumque catervas;
 Est quibus injunctum vigiles intendere curas,
 Ut nihil adverso possit, fluvioque secundo
 Hostibus adferri: tali pervicit & astu,
 Ut Borussiadam numerus trajecerit amnem
 Navibus avectus, noctis protectus & umbra.
 Transitus hic autem non damno immunis ab omni
 Accidit; at quinae multo cum milite pessum
 Subsedere rates: talis Peregrinus & auctor
 Extitit exitii, qui summo in margine ripae
 Disposuit varias moles Mavortis, & ietas
 Orbibus impetiit naves, demersit & undis.
 Id noctu evenit; noctisque cadentibus umbris
 Brandeburgiadae tacitis evadere signis
 Ingressi, montemque petunt: spes multa subibat
 Cautibus excelsis se posse, & rupe tueri
 Molibus instructa stygiis, tectosque manere
 Exigui in pagi domibus, quem nomine Kilnum
 Indigenae dicunt patrio. Quis fallere vero
 Bekiaden speret? Sub eodem is tempore mittit
 Teutonicas partim turmas, partimque Croatas:
 Qui tergum urgerent, consternatosque sequantur
 Auspiciis, Zetvitze, tuis, validique Lumagae,
 Hi jussa expediunt, capiunt, multosque trucidant;

Nec

Nec parcunt hostes donec sint monte recepti.
 Opposita insistens ripa Rex auribus ista
 Accepit, viditque oculis, & corde misertus
 Exitii instantis, misit turmasque ducesque,
 Auxilio ut veniant focis; multumque tulere.
 Non etenim tantum magnis e rupe balistis,
 Ast etiam brevibus torfere canalibus ignem,
 Et plumbi teretis pluviam, ferus ille retusus
 Queis fuit assultus, paulumque fenescere coepit.
 Bekius id vidit, totusque excanduit ira,
 Et dolet extortum manibus pene esse triumphum:
 Sed negat extortum penitus, dum vita maneret,
 Perdere quam mavult, quam vita sospite vinci.
 Illius ob nutus acies Peregrinus & egit
 Hostibus aequales: tunc atrocissima pugna
 Exoritur, clades tum mutua faevit utrinque.
 Id Zetviziades procul inde ubi vidit, habere
 Vult socios; illis palmas adscribere solis
 At sibi velle negat pariter; comitesque feroci
 Admonitos nutu secum contendere: pergit
 Arduus, & sublime elatum assurgit in harpen;
 Et ruit in medios, violento & fulmine torquet,
 Vulneraque infligit parvo sub tempore centum.
 Qua ferus ille volat, patuit magna area, major
 Fit comitum assultu: late vestitur operta
 Clade virum tellus; similem Peregrinus & edit,
 Dum latus invadit; geminos Borussus in hostes
 Se negat esse parem; post tergum erumpit & ecce
 Tertius: hic fortis Riefsis fuit, agmina secum
 Qui valida impegit, Brandenburgosque petivit
 In pagi infessi fallacia tecta receptos.
 Hi tunc non tantum despondent vincere posse;

Sed

Sed metuunt etiam vitae: cecidere remissa
Arma manu, veniamque rogant; captosque fatentur
Non modo se, verum quotquot venere ferentes
Auxilium; auxilio qui palmam auxere trophaei.
Dum tenuit pugna, & flammaram nimbus in auras
Ivit, & infensi crepuere tonitrua belli:
Vidit, & accepit resonos bibula aure fragores
Rex Borussiades adverso a littore; belli
Et dubiam ob sortem concepit pectore sensus
Multiplices: nunc sperat enim, despondet & inde.
Nunc subit ambitio nando transmittere flumen;
Daedaleas humeris alas nunc addere vellet:
Ut sua, qua pollet, praesentia strenua vires
Militibus reddat propriis, obruncet ademptas
Austriacis: sibi talis amor, studiumque suorum est;
Quos vice natorum ducit, se Patris & instar.
Dum coquit has curas, animum penetratur & ille,
Bekius interea complexus milite captos
Secum agit: hi fuerunt porro duo millia supra.
Hi sunt, quos captos deceptus credidit auctor;
Bekiadae vero, haud Dauni virtute subactos:
Quos inter legatus erat, multique tribuni:
Flammivomae moles octo, numerosaque signa
In praedam cessere, ducumque opulenta supellex
Inventa hic partim, partim prope littus & Albis.
Congener huic facinus mox Bekius edidit; idque
Torchavum propter: similis fuit obvius illic
Hostis, & hunc captum simili ratione subegit.
Dediderunt se tercentum, multique perempti;
Quingenti alipedes capti; spolia omnia praeter,
Sunt sagula accepta, integrae legionis ad usum
Quae fuerant transmissa, recensque a forfice ducta.

Infelix sic annus iit: vestigia nulla
 O utinam extarent anni infelicis! Ubique
 Funditus in cineres villae, pagique redacti.
 Hic gelidos thalamos conjux ploratibus urget,
 Hic soboles patres, patres palantur & illic
 Sedibus ejecti, & certi durissima quaeque
 Damna pati potius, quam diri incommoda belli:
 Ad quod collecti juvenes rapiuntur; ubi esse,
 Ambiguae est mortis species, excedere certa:
 Nam manet elapsos laqueus, vel adacta bipennis.
 Non modo mortales contra pugnatur, at ipsum
 Pugnatur Coelum, terras, elementaque cuncta.
 Aut pluit, aut late ningit: stat miles aperto
 Sub Jove; dum nivibus, glacie dumque obruta terra est:
 Imprimit aut gressum, gressu seu labitur ipso,
 Constat at interea, & torpet vi frigoris ustus:
 Nec semel ad vivum tostus riget ille, peritque:
 Et quibus aut ferrum, Bellonae aut flamma pepercit,
 Hos perimit Coeli, & matris telluris abusus,
 Quos Coeli terraeque usus suscepit alendos:
 Quilibet istius terrae tumulandus & ulna.
 Quo minor est orbis, sit quamquam immensus, eundem
 Ambitio excedit votis, cor devorat omnem.
 Qui nuper cumulos stragis, pelagusque cruoris (21)
 Aspexi sudore madens, gelidusque pavore,
 Nunc & inaccessas rupes, & inhospita saxa,
 In nubes quorum sublimia terga minantur,
 Quaeque laborantes oculos hebetesque fatigant,
 Cogor, ut invadam. Parcas, ah denique parcas,
 O mea mens animi! Si qualibet ocyor aura es,
 Haec juga tu superes, teneris ego stratus in herbis
 Te moror; ut credam, quae jusseris, omnia cerae.

Ah

Ah piger! ah segnis! paullum tua lumina tollas:
 Auftriacas Aquilas non tantum scandere rupes
 Suspicias, medios inter gestire sed ignes:
 Et nisu alarum corpus librare, suaeque
 Unguibus & rostro submittere fulmina genti.
 I, age, & unius dorso tete injice: ducet,
 Quo tu cunque voles: Laudon ubi fulminat ense,
 Et cladis montes mediis in montibus edit.
 Hunc monitum voluit Daunus, perrumpere claustra,
 In Silesiacas aditum pandentia terras.
 At vero, quoniam talis provincia cauti
 Plus aciem ingenii, vafrae plus mentis & artes,
 Quam Martis validas acies, quam pectoris aestus
 Exigeret, Laudon ideo quo lumine pollet
 Judicii, exhaustit totum, commentus & astus
 Difficiles captu: queis nempe imponere posset
 Artifici fraudum, frustrandi & in arte magistro
 Foquetto, fuerant pridem cui fixa stativa
 Praecipites inter montes, rupesque diremptas.
 Qua tumuli exorti tumulis, & vertice vertex
 Altius exurgunt; sub quorum faucibus eriat
 Non via, at ambages, flexique angustia callis;
 In Silesiacas recta quae duceret oras:
 Hanc non Foquettus tantum, sed & omne cacumen,
 Omne supercilium stygiis obsederat armis,
 Armatisque simul: quin imo haud fretus iniquis
 Ingenio, posituque loci, construxit ubique
 Aggeribus junctos pyrgos, fossasque patentes.
 Et manet hic tutus; pectusque incuria multa
 Oblinit: hinc segnis stertit, temnitque supinus
 Quidquid in has casses Laudon tentaverit unquam.
 Inter & has Laudon mox irretivit eundem.

(22)

Qua potis, agmen agit rapidum, transmittit & oras
 Praeproperus Gedeon, quas ardua Glacia spectat.
 Dumque iter intendit, multos praecedere jussit,
 Ut metatores fingant inquirere campos,
 Sollicitis turmis ponenda ad castra capaces:
 Falsus ut a cufis tenebris subsistat in aestu
 Foquettus dubio, quorsum mendacia tendant
 Plurima castrorum, damnoque occurrere pergat.
 Dum variis agitur curis Borussus, adultas
 Reddidit has Laudon, quando commentus adire
 In Zotenbergi montem: quo denique capto,
 Tunc a Breslavia fuerat Svaidnitza dirempta:
 Utraque nec quondam cupidae praesto esset utrique;
 Nec Borussiacus succurrere posset iisdem.
 Hoc simul advertit, certumque id credidit esse,
 Quod sese Laudon excluderet urbibus illis,
 Tunc metus incessit major, tunc ira timore
 Incubuit sociata: moras subit impetus omnes
 Rumpere: stat proprio praevertere tale periculum
 Sanguine, frustrari scitas Laudonis & artes.
 Ut decor emeritus, per multos auctus & annos,
 Quod Silesiacis plerosque exegerit oris,
 A duce nunc tandem jaceat tirone peremptus:
 Avocat idcirco Lanshutti ad claustra sedentes
 Continuo turmas omnes, & ut ocyus irent,
 Perfracte jussit, varia quae fruge scaterent,
 Horreaque, & belli multa instrumenta relinquunt.
 Haud secus ac jussus fuerat, festinat abire
 Miles, at invitus, passim deserta videndo
 Munera tot Cereri, tot saevo accepta Gradivo,
 In praedam infensis olim cessura catervis.
 Ac licet invitus, tamen inde excedit; at imo

Corde

Corde dolet: quoniam tenuis nec copia detur
 Aut rapere, immissis segetes aut dedere flammis.
 Atque ita, quas fauces non pugna subegerit una,
 Has tandem Laudonis iter redeuntis, euntis
 Expugnat, mercesque levi parta amplae labori:
 Tot quando comperta illic alimenta fuere
 Tempore non parvo multas pastura phalanges.
 Vix Borussiacus miles discesserat, aequae (23)
 Cum Wolferstorffus fauces ingressus: & idem
 Non temere, at merito claustra horrida iussus adire:
 A quorum aspectu nequaquam exterritus ille,
 At contra allectus. magis idem allectus & esset,
 Si juga vidisset, si cuncta cacumina montis
 A Borussiacis passim vestita catervis.
 Strenuus irruerit, pugnam invaserit hostes,
 Et planum stravisset iter sibi fulmine ferri.
 Ergo ubi deventum est, tum Wolferstorffus ad omnes
 Erroresque viae, & flexi compendia callis
 Excubet ut statio, iussit: nusquam obvius ulli
 Ut trames pateat, si forte advenerit hostis.
 Militis est etiam justae custodia fixa
 Per montis varios apices, humerosque cadentes
 In tenues aditus, qua semita serperet arcta.
 Haec alibi: dux ipse sedet, qua callis apertus
 Amplior, ut solus tueatur ad agminis instar.
 Inde sed excessit nutum Laudonis ob unum,
 Non quoniam multos hostes praesensit adesse.
 Interea Laudon quando peccasse Foquettum (24)
 Advertit, ductumque dolis, quos struxerat, illic
 Haud paucis equitum turmis subsistere iussis,
 Non jam Breslaviam, nec te, Svaidnitza, petivit;
 Sed pedites secum duxit, qua Glacia surgit,

Agminaque admovit juxta, cinxitque corona.
 Hic ubi Foquetti rumor delatus ad aures,
 Integer indoluit, multaue excanduit ira:
 Militiae veterem quoniam tiro ille bimester
 A duce legatus se circumscripserit; & quod
 Consilio ignaro Lanshutti excedere faxis
 Compulerit, quando modico cum milite tales
 Thermopylas poterat diuturno tempore contra
 Innumeras Persarum acies, Xerxisque tueri,
 Non contra Austriadum paucas. Sese obstinat ergo,
 Perque caput Regis jurat, vitamque, cupressum
 Aut prope Lanshuttum, aut laurum sibi velle redemptum.
 In Silesiacas it tessera protinus oras,
 Conveniant, ubi fixa forent tentoria, quotquot
 Undique sunt turmae, cunctae viduentur & urbes.
 Haud mora fit: coeunt supra terquina virorum
 Millia; & haec rapidus secum abripit, & loca nota
 Pergit adire celer: quae Wolferstorffus [ut olim
 Jam fuit injunctum] veluti non pulvere multo
 Obtinuit pridem, simili ratione reliquit;
 Ductus & obsequio Boruffos vincere parcit,
 Belligeras animi mavult quia vincere flammis.
 Laetitiae indulgens partim, partimque dolori
 Ingreditur gratas fauces Foquettus, adeptas
 Laetus ut ob rupes, segetes ita moestus ademptas.
 Inde salutatis acclini vertice faxis,
 Hic, inquit, seu victor ero, seu victima fati.
 Est desiderio nimium sed falsus utroque:
 Nam veluti haud victor, nec vitae est lumine cassus,
 Sed captus, postquam non vulnere saucius uno.
 Interea Laudon tria claustra obstruxerat ante, (25)
 Illac ne Boicas posset Foquettus in oras

Tendere, suppetias obsessae ferre vel arcu.
His ita compositis, Lanshutti in claustra redacto
Foquetto, movit Laudon, nec & agmine toto,
Ut Borussiacas acies expelleret illinc.
Mox quia compertum est, omnes inibi esse coactas,
Quot vires poterant hostes, subsistere paulum
Consilii duxit, cunctasque arcessere turmas,
Exceptis aliquot, quibus Glacia cincta fuisset.
Tot postquam collectae acies placuere, movetur,
Itur & expulsus Lanshutti a finibus hostes.
Hos porro Austriacae fines adiere phalanges,
Cum tenues librata dies contraxerat umbras,
Et passis foliis vix truncum obnuberet arbor.
Hic Borussiadum cum rupibus undique clausos (26)
Vidit, & obsessos quaesita indagine Laudon,
Ut pransi potique brevi dent lumina somno,
Militibus iussit; surgant & ad arma parati,
Montibus e summis visus cum Lucifer ortus,
Et juga detegeret radiis Aurora malignis.
Sic quoque venator cupidus transfigere telis
Dentibus horrendos apros, atque unguibus ursos,
Cingit agros longa serie validaque plagarum:
Contrahit has inde, ut spatium compellat in arctum
Hirsutum pecus; & jaculis ibi trajicit ictum,
Nequidquam adnixum transmittere retia saltu;
Quod solida, & plures eadem tollantur in ulnas.
Haec ubi disponit Gedeon, sibi nuntius affert,
Sexcentos juvenes Borussia e gente propinquos
Tendere per montes: numerus, tunc imperat ille,
Aequus ut occurrat: properant incurrere iussi,
Invadunt, primoque abigunt certamine: quorum
Pars major restisque fuit, seu victima ferri.

Altera pars adiit socios, ut nuntia cladis
 Nunc propriae, illorum pariter praenuntia quondam.
 Phosphorus at stellas jam primo hebetaverat ortu,
 Jamque rubescebant excelsa cacumina montis,
 Orbis & extabat medius lucem inter & umbras;
 Luciferi in Coeli campis ardere quaterni
 Cum procul aspecti, pugnae qui tessera nempe.
 Omnia tam late peregrina albescere luce,
 Et rupes adscita dies vestire videtur,
 Continuo & noctis tenebris obscurior umbra
 Involvit stupidas fumi caligine cautes.
 Luciferi porro fuerunt tot fulmina Martis,
 Quae, postquam inferni sunt pulveris impete jacta,
 Profluere, crepantque in fragmina multa: suasque
 Crinitas per inane faces sparsere, subortus
 Austriacis vigor unde fuit, metus inditus hosti.
 Hunc contra Laudon tumulos exurgere quinos (27)
 Jusserat; in quorum dorso federe curules
 Multigenae moles: numerus sed major in illo,
 Hostilem adversus pyrgum qui conditus esset:
 Diluvies densa unde simul jaculata pilarum.
 Artificum decus ille, auctor Vulcanius ille
 Flammarum omnigenum solers Reuroys in hostis
 Ignivomam turrin miro sua fulmina pacto
 Tam bene direxit, sic collineavit, ut ejus
 Non modo diruerit nutantia moenia primis
 Ictibus, & carros, radios lacerarit, & axes;
 Ora sed intruso tormenti obstruxerit orbe
 Tartareo: hinc moles doluit, quod inutile pondus
 Reddita sit, flammis iterum torquenda camini,
 Inque novis prunis veterem sumptura figuram.
 Haec ubi, mox turris muralibus amplius uti

Tormentis minime potuit Boruffa juvenus:
 Et prope despondit, murorum in strage sepulta
 Spes pene interiit; quaeque interfecta putatur,
 Altera cum turris pariter dejecta, simulque
 A reliquis quando stratus suggestibus agger
 Non unus cecidit, fossis aequatus & ipsis.
 Nam quamvis habitu nato locus inviis esset,
 Est ubi pugnatum [tollunt fastigia montes
 Hic passim octoni] tamen ut natura creavit
 Hos sibi discretos, junxit Foquettus eosdem;
 Exque tot enatis montem mox reddidit unum:
 Perpetui adnectunt siquidem dorfa omnia pontes,
 Omniaque aggeribus, vallis, cervisque, profundis
 Et fossis munita; simul castella subinde
 Exurgunt grava armatis, foeta omnia & armis.
 Dum tormentorum tenet horrida flamma, canales
 Hanc parvi excipiunt; infert sese Austria pubes
 Nam propius semper, repetitis glandibus hostem
 Et ferit appositum: tunc aggeris objice multi
 Se condunt, fossisque tegunt: sed protinus adsunt,
 Queis onus incumbit dextra manualia tela
 Projicere: hi numerum magnum misere per auras,
 Ut postquam sublata, cadant dein agmine recto
 In foveas, timidisque illinc evadere cogant,
 Et Boruffiadas firmos disrupta trucidant,
 Inque suis foveis adigant reperire sepulcrum.
 Qui vero excedunt plures, simul aequor adepti
 Sunt planum, instituunt aciem, rediguntur in unum
 Et cuneum: instaurant pugnam, fortesque rebellant.
 Rursus at hos contra plumbi celer ingruit imber,
 Inque obfirmatos saevit seges horrida ferri.
 Qui reliqui ex istis abeunt, seque aggere rursus

Non procul amoto festinant abdere ; juncti
 Qua comitum agglomerant turmis, & praelia tentant :
 Ast alii in summi perrepere brachia faxi,
 Rupis & objectu se propugnare, prementes
 Laedere & Austriacos ferro plumboque petitos.
 Sic tenuit fera pugna diu : discrimina pugnae
 At diversa nimis : tutus Borussus inibat
 Cautibus obversis protectus, & aggere : pugnam
 Austriadum pubes sed aperto pectore quamvis
 Misceat, objicibus pellit, fugientibus instat.
 Id Campitellis plusquam mavortia virtus (28)
 Non semel exhibuit : quas jussus ducere turmas,
 Hostibus impegit princeps ; non exigit ille
 Praesidium a sociis, sociis affectat at esse
 Auxilio : incussus gladius sua lingua monentis,
 Pectus & exemplo est ; potior Laudonis in ipso
 Sicut amor, juxta potior fiducia fixa est.
 Martiaque ut virtus radix est talis amoris,
 Quae magna utrique est, sic experientia fructus
 Edidit eximios : belli nempe inclyta gesta,
 Fac, jubeat Laudon, Campitellisque patrabit.
 Hic igitur primus sese velut intulit, aequae
 Et Borussiacos primus statione fugavit,
 Inque aliam ex alia, rupemque e rupe repulso,
 Instat & semper ; donec victoria plena
 Asserta Austriacis, penitus deletus & hostis ;
 Et fuga vel praecipit, vel possidet integra clades.
 Inter id aspiciens vivax Caramellis, ab hoste (29)
 Quod timido profugoque aditus quaeratur, ut illac
 Se procul abripiat, seu vitam a morte redemptum,
 Seu dextram a manicis, Lanshutti & tendat in urbem :
 Obvius occurrit, calles & inire petitos

Occupat: idque fatis minime sibi credidit: ergo
 Arduus ingreditur, sociosque ad praemia palmae
 Exacuit, quae sunt communia reddita cunctis,
 Et Borussiadum quae spes frustrantur inanes:
 Pars quorum haud manicas, potuitque evadere mortem.
 Hic inter reliquos virtus generosa Loozzi
 Enituit: medios inter defertur is hostes;
 Tympanaque argento solido fulgentia bina,
 Custodi postquam bino dextram abscidit ense,
 Qui sese objiciunt cupidi defendere praedam;
 Invadit, pondusque adeo grave sustulit unus
 Infractus, cujus gemeret sub mole boum par.
 Dum cuncti incumbunt, specimen virtutis ut edant (30)
 Egregiae, & passim patrent gesta inclyta belli,
 Aemula Nasellis praestare adnititur aequae.
 Ardua turris erat similis sub vertice petrae
 Condita: in hanc Laudon Naselli invadere mandat.
 Haud mora fit, properat Sicalae laus optima gentis:
 At quia difficilis trames, nunc tendit, & idem
 Alternis nixus pedibus nunc repit: utrisque
 Comprendit manibus nunc saxa extantia: tandem
 Progreditur supra: pubes subit Austria pone:
 Nec tamen interea turris de moenibus illos
 Diluvies lapidum, plumbique incessere parcit.
 At licet impediunt rupes, & tela minentur
 Nasellis tandem se portae ad limina sistit
 Strenuus, impavidus, manibusque utrisque bipennem
 Arripit insurgens, illidit & arjetis instar.
 Procubuere fores avulsae a cardine: tota
 Janua tum patet. E pinnis Borussa juvenus
 Dum videt haec, manibus non amplius usae, sed una
 Voce rogat veniam, & veniae data copia captis.

Est quoque Kinskiadae, quod avito sanguine dignum, (31)
 Exhibitum facinus. Pomerana e gente catervam,
 Ac pilanorum selectam e flore, suoque
 Et numero quae freta, vetus quod miles & esset,
 Semper ad assultus omnes infracta, tenaxque
 Propositi, illum vitam praeferre decorem,
 Kinskiades vidit, meritaque efferbuit ira:
 Et parvam validamque manum sic ore volonum
 Belligero irritat. Partum victoris honorem
 Corruptet globus ille, diu si forte manebit,
 Ut manet, intactus: magnae quem gloria tangit
 Theresiae, gentisque suae, sese invehat acer,
 Deleat & tales inimico sanguine labes.
 Dixit, & in dicto calcaribus effodit ictum
 Alipedem; alipedi pariter laxavit habenas
 Bellipotens fera dextra, animum pariterque furori;
 Praecipitique fuga abreptus contendit in hostem:
 Quem postquam impetiit flammis, dein cominus ense
 Constantem, flammisque simul, seque ense tuentem;
 Kinskius & quidquid, pariter sua turma peregit:
 Ut Coeli in campis vi turbinis icta protervi
 Fertur in adversas nubes, facibusque coruscat
 Assiduis, tonitru reboatque, & fulmina vibrat:
 Sic globus ille ferox sese intulit: igne, vel ense
 Invadit, punctimque ferit, caesimque trucidat
 Principio invictum cuneum; mox clade suorum
 Percussum, cupidumque ideo se dedere: sero
 Sed quoniam cupidum, pariter sese Austria pubes
 Obstinat, & caedit, caedendi expleta libido
 Sit donec: reliquos mox destinat esse catenae.
 Hic Nevendorffi mira virtute coronis (32)
 Imposita est palmae: & faustum vox clara tubarum
 Info-

Infonuit: nihil inde trucis, nihil inde minacis
In reliquos: tantum reliquus Foquettus ubi esset:
Cujus at in votis aut caedi, aut liber abire.
Latus erat campus, multis iusta area turmis.
Huc, ubi victores vidit Foquettus ubique
Austriacos, sese libratoresque recepit,
Omnes qui fuerant capitum tria millia supra.
Exiguus numerus, numerum si forte recenset:
Robur at expendas, erat ille exercitus alter.
Cum Nevendorffus, qui multis obuius ante
Jam cuneis ierat, limen quaerentibus, unde
A strage evadant, quosque ille involvit eadem
In strage, aspexit cupidum nova bella ciere
Foquettum, turmasque suas iusto ordine cunctas
Non modo digestas, aditum nec habere volentes;
Ast hostem potius, promptosque capessere pugnam,
Atque insultantes dictis, atque ense minantes.
Ut leo, custodes qui postquam exegit ovilis,
Si procul immensa surgentem mole juvencum
Inspiciat, non ille fami nova pabula poscit,
Viribus at segetem propriis, animique vigori;
Insilit, invaditque ferox, laceratque frementem:
Sic Nevendorffus non amplius agmina parva,
Queis aditus inhibere queat, vestigat, ut olim:
Negligit haec: hostesque suis modo viribus aptos
Expetit, illectus palmae potioris amore.
Illius hinc nutu litui increpuere frequentes,
Tympanaque excipiunt rauco pulsata boatu.
Tum gladio exerto sese invehit, invehit aequae
Austriadum pubes: & parvo tempore multas
Projiciunt glandes, juxta patiuntur & actas
A Borussiis. Ea porro pugna tenere

Est cum visa diu, subeunt sibi taedia: nudo
 Et Nevendorffus mandat decernere ferro:
 Mandat, & exequitur princeps mandata, rotatque
 Turbine perpetuo. Cecidit, rediitque machaera
 Assidue, semperque novo polluta cruore est.
 Nec madet illa modo, capulum respersit at ipsum,
 Infecitque fagum: parili succensa furore
 Austria gens edit clades. Deferbuit ardor
 Tum Borussiacis: captos se dedere fassi
 Qui reliqui: & numerus nimium mutilatus iidem.
 Tunc conclamatum late, tunc arma remissa:
 Tunc nullis aditus jam septos undique turmis
 Austriacis, tantum veniam sed poscere votum est.
 Sic munimentis propriis, atque aggere firmo,
 Ut pedicis vineta, & pubes Borussia victa est.
 Austriacisque aditus qua pridem obstructus ab arte,
 Hac Borussiacis mox exitus omnis ademptus.
 Est labor enormis reliquorum attexere laudem (33)
 Ducorum: porro sit laudum haec summa suarum,
 Quod bene comprehendit Laudon; quae bellica virtus,
 Et vires cujusque forent; adscripsit & ipsis,
 Quas peterent rupes, Borussiacasque phalanges;
 Et fuit haud falsus Laudon, dum legit eosdem:
 Nullus & e lectis Laudonis vota fefellit;
 Hujus ut erravit meta mens provida nunquam;
 Sic mentem ipsius nullus frustratus & actis.
 Post pugnam, liceat pugnam si dicere, magnam
 An potius cladem, & cumulatae cladis acervos,
 Auxilii Matri toto de pectore Laudon
 Et grates humiles, retulitque accepta trophaea:
 Praesidio cujus saxi, fossa, aggere septum
 Militiae hostilis florem, numeroque potentem

Sanguine non multo vicit, nec strage fuorum.
 Quandoquidem e sociis infra sunt mille perempti:
 At Borussiades ultra tria millia quina
 Ante tubas juvenum sublimi vertice legit:
 Sed litui postquam siluere, ex agmine tali
 Non adeo multi per saxa abrupta, viasque
 Arrectas pariterque fugam, pugnamque capeffunt:
 Et vinci indociles abeunt discrimine functi.
 Est quoque Foquettus captus post vulnera bina: (34)
 Gloriaque haec capti forti adscribenda Foitto:
 Multa reluctantem, intentatoque ense minantem
 Ille suis multis dictis, absistat ut ausis;
 Vicit & eloquio, se vincitum ut dederet idem.
 Cui foret in votis se morti offerre, decoris
 Hostia vel proprii, vel amati victima Regis.
 His ita transactis, cessit victoris in aera
 Omne instrumentum belli, signa omnia, & omnis
 Copia vel frugum, pyrii vel pulveris ingens;
 Et quinquaginta tormenta tonantia Martis,
 Tympanaque argento solido constantia bina.
 Haec legio accepit quia Kollowrattica, jussit
 Theresia, expendit iusta quae singula lance,
 Se penes ut maneat, pignus virtutis, & index.
 Manubias tales, bellique excelsa trophaea
 Ut legeret praesens, oculisque hauriret hiulcis,
 Cernere se viduam populo gavisa Vienna est.
 Deseruere domos, seque effudere per omnes
 Perpetuos calles, properant, tritique teruntur,
 Urgentesque abigunt, sternique, & sternere gaudent:
 Nec vero interea festas intendere voces
 Abstinerere, quibus, totoque e pectore solvunt
 Auxilii Matri grates sua munera propter.

Theresia & pariter vidit, Franciscus, & una
Austriadum Soboles, stellis formosior ipsis,
Virgineae & Matri grates retulere: recepti
Mox templis hilares videre cadentia signa
Parjetibus, tales olim testantia palmas.

